

A

PSALMUS XXXIV.

EXPLICATIO VERSUS I.

בשנותיו *in immutando ipsum:*) h. e. dum ipse immutaret. Verbum **יָשַׁב** iteravit, *secundò aliquid fecit*, in piel significat aliquid *mutare*, & altera quasi vice reformare: quomodo v. g. Rex Babel **יָשַׁב** mutavit vestes carceris sive captivitatis Regis Jojachin, *Jer. LII, 33.* & 2. *Reg. XXV, 19.* & quomodo Ahasverus **יָשַׁב** mutabat Estheram, regias ipsi vestes gloriamque conferendo, *Esth. II, 9.* quomodo mutatur via *Jer. II, 36.* item sermones, quando revocantur &c. *Psal. LXXXIX, 35.* aut judicium, quando justitiæ administratio invertitur, *Prov. xxxi, 5.* Atque sic usurpatur etiam 1. *Sam. XXI, 15.* de Davide insanum se coram Achis simulantem, dum priorem suum *immutabat* habitum, atque mores, assumptis ineptis atque ludicris: ad quam simulationem etiam hoc loco fit respectus. De cætero Psalmum hunc communionis eucharisticæ tempore recitatum dicunt *Const. apostol. l. 8. c. 20.*

טעמו *rationem suam, vel vultum suum:*) ita Vulg. LXX. **ὁσώπων**. Lutherus: *Seberde / & cum hoc Piscator: gestus suos.* Junius: *speciem suam:* h. e. dum referret gesticulationes atque mores, quales sunt insanientium; dum fingeret, se esse prorsus immutatum, priorique rationis usu planè privatum. **טעם** est *sapor* alicujus rei, v. g. vitelli ovorum, *Job. VI, 6.* manna, *Num. XI, 8.* vini, *Jer. XLVIII, 11.* quandoque tamen transfertur ad illam animi facultatem, qua veluti gustamus aut discernimus rerum differentias, h. e. designat judicium hominis, vel rationem, qua aliquid dijudicat, consulit aut decernit, quomodo v. g. David inquit 1. *Sam. XXV, 33.* benedictum **טעם** judicium vel consilium tuum, ô Abigail, *Psal. CXIX, 66.* bonitatem **טעם** *judicii* vel consilii, & scientiam doce me: sic *Prov. XI, 22:* mulier **טעם** *rebellis* **טעם** *judicio* vel averfans rationem; *Job. XII, 20.* consilium senum eripit, &c. Quare & hoc loco designatur immutatio rationis exterius apparens, quando David ejus recto usu se carere, vel insanum se esse, simulavit. **פִּיִּסְכָּת** de *gustu*; per quem intelligit *gestus*, ex quibus veluti hominem, qualis sit, quave mente prædictus, *gustamus.* Ita & ante hunc *Flac. p. 1. Cl. f. 386.* Gustus accipitur pro habitu totius corporis, in sermone, gestibus &c. sive quia alii inde gustent aut cognoscant nos, seu quod externa illa indicia, interni gustus aut judicii sint indicia. Sed non satis videntur quadrare loca allegata.

פָּנַי *in facie:* h. e. coram. Sic enim nomen hoc plurale tantum **פָּנִים** *facies*, cum præfixo (ר) usurpari solet.

אֶבְרָתִי *h. e. coram Rege Philisthæorum,* dictò Achis, 1. *Sam. XXI, 10.* ratione scilicet nominis proprii; qui ipse tamen, pro more regum istius gentis, dicebatur etiam *Abimelech* (si interpretis, *pater regis* i. e. *pater regius, vel rex paternus*) quod erat nomen dignitatis, ceu colligere licet ex historia Abrahami, *Gen. XX & XXI.* & Isaaci, *c. XXVI.* ita etiam *Rasbe, Kimchi, &c.* Sic enim Reges Ægyptiorum dicebantur Pharaones & Ptolomæi, Reges Amalekitarum, Agag, Perfarum, Darii & Artaxerxes, Parthorum, Arsaces, Scytharum

Scelotos, Albanorum, Sylvii, Latinorum, Murrani, Romanorum, Cæsares vel Augusti, Turcarum, Ottomanni aut Sultani: teste *Ahied. Chronol. p. 171. obs. 1.* vide *Glaif. l. 4. p. 101. Tarn. ad Hof. p. 166.* Alex. ab Alex. *dier gen. p. 3.* Sanctum ad *Dan. IX, 1.* sic Jacobitarum patriarcha semper gerit nomen *Ignatii*, referente *Brerewodo serut. relig. p. 93.* & Rex Sinenfium nomen *Hoangti.*

וַיִּגְרְשׁוּהוּ *expulit eum:*) per ministros suos, quos ob insani hominis introductionem increpabat, 1. *Sam. XXI, 14.*

וַיֵּלֶךְ *abiit:*) scil. incolumis & salvus, cum carceres aut mortem metueret; recepit verò se postmodum ad speluncam Odullam, uti est 1. *Sam. XXII, 1.*

EXPLICATIO VERSUS II.

בְּרַכְתִּי *benedicam:*) laudibus scilicet æternis eundem extollendo, veluti mox exponitur per **תְּהִלָּתִי** *laudem.* Sic enim *benedicere*, quando ab hominibus dirigitur ad Deum, debet exponi; cum aliàs benedictio Dei, in creaturas profecta, nil aliud sit, quàm benefactio seu beneficii collatio, vide *Psal. X, 3.* XVI, 7. XXVI, 12. XXVII, 2. II. XXVIII, 9. Notetur autem, Psalmi hujus versiculos initium sumere à literis, juxta alphabeti seriem collocatis, ita, ut primus ab (א) secundus à (ב) ordiatur, & sic consequenter; nimirum ut idem tantò facilius mandari queat memoriæ, eidemq; æquè tenaciter ac perfectè inhæreat, quam pueris alphabetum. Verbis his usus Theodorus tyro, martyr sub Maximiano; *Harai vit. SS. f. 707.*

בְּכָל עֵת *tempore scilicet tam prospero, quàm adverso.* *Genebrardus & Aben Esra:* omni tempore novis afficior beneficiis, omni ergò tempore decet eum laudari. Adeoque Laus Dei non referenda est inter res illas, quæ certum habent suum tempus, *Cob. III, 1. seqq. Engelgr. 1. pantb. p. m. 373.*

בְּפִי *in ore meo:*) scilicet erit. verbum namq; substantivum subintelligi debet ad subjectum, sive nomina, sine verbo posita.

EXPLICATIO VERSUS III.

גִּילִי *glorietur:*) unicè scil. ejus potentiam ac favorem benignissimum deprædicando, cæterasque, tum hominum, tum idolorum præfidiorumve facultates deprimendo. Verbum **גִּילִי** *laudavit*, in *hichpael* est *gloriar* vel *jaetare se*, h. e. laudare propriam sortem ob hanc illamve peculiarem *ἐξοχήν* aut præminentiam, atque tunc impulsiva gloriationis causa designari solet præfixo (ב) sic *Prov. xxv, 14:* jaetans de dono mendaci: *Jer. ix, 23:* ne jaetet sapiens &c. *Psal. xcvi, 7.* jaetans de idolis: *Psal. cvi, 5.* ut glorier cum hæreditate tua. *Psal. cv, 3.* *Jes. xli, 16.* & 1. *Par. xvi, 10.* gloria mini in nomine ejus sancto: *Psal. lii, 3.* quid gloriaris de malitia. *Jer. xlix, 4.* quid gloriaris de vallibus. 1. *Reg. xx, 11.* ne glorietur accinctus sicut distinctus. Sic *Psal. xlix, 7.* gloriar in divitiis, &c.

נַפְשִׁי *anima mea:*) h. e. non obiter aut perfunctoriè, vel meris saltem verbis, de Dei mei gloriabor clementia ac robore, sed laus ista ex intumis proficiscetur pectoris mei penetralibus.

X 4

שמעו